



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Hoc perfectionis desiderium magnum esse debere. Cap. iv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Hoc perfectionis desiderium magnum esse debere.

CAPVT IIII.

Res magna, & obtentu difficiles, quæ non communi labore, nec ordinaria diligentia, sed insolita industria & eximii conatibus, acquiruntur, ardentissimis desideriis optanda sunt, quæ homines rerum optimarum cupidos, in laborum tolerantia confirmant, & difficultates, adeptioni eius, quod cupiunt obstantes, euincant. Nam tepida & infirma desideria, quælibet insurgens difficultas extinguit, & mentem non ardentem cupientem quouis obstaculum, quasi hostis fortior, robustiusque prosternit. Quod sponfa aliquando non tam amore, quam tepore languens, est non sine detrimento purissima voluptatis experta, quæ ab sponso ad solitas delicias euocata, ne ad eum excipiendum assurgeret, nescio quam indumenti, & munditiæ difficultatem obtendit. Expoliam me tunica mea, dixit, quomodo induat illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos. Tunc forte pigritia languebat, quæ tam facili difficultate superata, sponso aditum denegauit, ut ille quasi rubore suffusus declinaret atque transiret, & non sine ipsius sponfae opprobriis, atque vulneribus pareretur se iterum inueniri. Cum ergo perfectio animæ res magna sit, & summis difficultatibus inuoluta, robustisque hostibus cincta, quæ iter ad eam obtinendam impediunt; magnis & inenarrabilibus desideriis optanda est, quæ nos faciant intrepidè hostes adoriri, & omnia impedimenta se opponentia superare. Talia sint oportet, quæ nos dormitantes excitent, oblitos ad memoriam reuocent, & in alia distractos colligant, & ad solam perfectionem quærendam quotidie magis, magisque sollicitent. Talia certè, quæ in alia re, quam in virtutis officii, nos requiem inuenire non sinant, quæ nos singulis momentis ignauia reprehendant, quæ ad sanctam quamdam impatientiam adigant, quia Deum diligentius non querimus, & post sponsum velocius non currimus, & quia nec dum illius perfecti amoris brachiis astrictum, ligatumque tenemus. Talia denique sint ista desideria, quæ ad feruentissimas postulationes moueant, quæ ad largam profusionem lacrymarum prouocent, & quæ ex imo pectore suspiria, gemitus & singultus eliciant. Perfectioni namque optime congruit illud sancti Iob: Antequam comedam, suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus; quia perfectio talis, naturæ cibus est, ut lacrymis sit emendus, & gemitibus, atque suspiriis comparandus. Nisi enim anima suspiret, non comedit, inquit Gregorius, quia qui se in hoc sæculo per desideriorum cælestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia latantur. Suspirat autem, qui comedit, quia quos veritatis amor afficit, etiam refectione contemplationis pascit. Suspirans propheta comedebat, cum diceret: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes. Luctu enim suo anima pascitur, cum ad superna gaudia flendo subleuatur: & intus quidem doloris sui gemitum tolerat, sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Hæc desideria non tepida, & infirma, sed ardentia, atque robusta, quæ difficultates superent, quæ animam lacrymis, gemitibusque conficiant, solent diuinum pectus expu-

Can. 5.

Iob. 3.

Greg. 5. mor. c. 4.

Psal. 41.

Agnare, & eam ad perfectionis fastigium subuehere. In cuius signum Elias, ut in ostio speluncae Dominum transeuntem aspiceret, operuit vultum suum pallio, & ut oculos mentis aperiret, oculos corporis claudit, & operimento contextit. Quidnam est hoc? Profectio, quod illi Dominus se benignus ostendit, & sanctitatis dono illum afficit, qui per mundi contemptum oculos suos rebus visibilibus claudit, & se intra seipsum colligit, ut Dei amoris & desiderii intendat. Nec loquendi modus te prætereat, quia idem est Deum ardentem desiderare, ac desiderii magnis perfectionis insistere. Nam Deus est vera nostra perfectio, quem, cum per charitatem perfectam possidemus, & per vitæ integritatem imitamur, tunc sancti, & perfecti sumus.

B Dominus quidem, ut nos ad perfectionem subuehat, hæc magna, & insatiabilia desideria nostra, non ex nobis solis sed præcipuè ex sua gratia profecta patienter expectat. Ideoque non tam perfectionis, & puritatis desiderium, quam ingentem famem, & inextinguibilem sitim ab eam assequurum res exposcit. Beati, inquit, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Iustitia enim hoc loco non specialem virtutem, quæ reddidit vnique, quod suum est, sed omnem virtutem, & omnem perfectionem significat. Quæ optimè iustitiæ nuncupatione insignitur; quoniam si bene eius natura intelligitur, semper iustitiæ operibus occupatur. Nam & Deo, & proximis, & sibi ipsi vir perfectus debitum tribuit, dum Deo amorem, & cultum, & proximis subsidium in eo quod potest, & bonum exemplum, & sibi ipsi nunc panem, id est, quæ corpori necessaria sunt; nunc flagellum, hoc est, corporis afflictionem debitam reddit. Hac verò iustitia illi saturantur, qui non vtuntur illam cupiunt, sed fame & siti, scilicet magno & ardenti desiderio appetunt. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam, ut primum eam desideriis ardentissimis exoptemus, & postea diligentissimis & purissimis operibus impleamus. Quod autem Dominus sub nomine famis, & sitis hæc insatiabilia desideria requirat, ut animas nostras aliquando sua uisissimo cibo iustitiæ, id est, perfectionis exaciet, docet in eundem locum Hieronymus, cuius hæc est interpretatio. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ pariamur famem: ut sub hoc exemplo numquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus. Huius sanctissimi doctoris sententiam Simon de Cassia, & ipse doctor pius, & in diuinis literis eruditus, & Spiritus sancti donis facis illuminatus, latius exposuit, dicens: Sed quid est esurire, & sitire iustitiam, nisi se insatiatum, & insatiabilem reddere ad omne, quod paratur ad regnum: ad corrigendum omne perperam factum: ad vindicandum in seipso delictum, & puniendum amarè peccatum: ad rependendum pro gratia; ad debita persoluenda; ad custodiendum immaculatè deposita, & ad perficiendum sine contradictione inuncta, & sine simulatione consulta, & ad patienter portandum quæcumque nostræ sensualitati contraria, nec non & semper tenere indeficienter modamina vitæ, ac si quæ interminata tormenta, & mortem intentatam promptè potius suscipere, quam ipsam iustitiam intermittere? Hinc fami, & siti, id est, huic ardentissimo iustitiæ desiderio facietas iustitiæ promissa est, & suam promissionem Deus implet, quia his desideriis ardentibus animam, ad perfectionem vocatam ad laborandum pro perfectione mouet, & post labores in thalamum puritatis admittit. Quis

3. Reg. 19.

Matth. 5.

Hierony. lib. 1. in Marc. ad cap. 5.

Cassia. lib. 10. c. 7.

sanctum

Gen. 29. sanctum Patriarcham Iacob impulit, vt tam sollicitè laboraret, & septem annis pro Rachele seruiret? Nōne ingens desiderium: quo pulchram virginem & sanctitatis imaginem deperibat? Denique seruit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Idem ergo desiderium nos ad laborandum pro sanctitate, & seruiendū incitabit, & quicquid pro ea consequenda passi fuerimus, parum; quidquid boni fecerimus, parum; quidquid pro ea reliquerimus, satis parum & momentaneum efficiet. Nam si ardens desiderium mundiæ substantiæ mercatorum ad laborandum exacuit, & desiderium inanis & perituræ gloriæ militem ad bellum accendit, quid non exacuat, & accendat nos ardens desiderium perfectionis, in qua & veras diuitias, & puras delicias, & solidam gloriam, numquamque perituram reperimus? Qui esurit ergo, vt Bernar. ait, esuriat amplius, & qui desiderat abundantius adhuc desideret; quoniam quantumcumque desiderare poterit, tantum est accepturus. Imò verò non secundum imperfectionem, modumve desiderij, quoniam donec perfectè habeat, perfectè desiderare non potest: sed nec & perfectè habere, donec perfectè desideret: sed mensuram acceptius est bonam, & confortam, & coagitatam, & superfluentem. Vide quo pacto Dominus non tantum desiderijs ad laborandum pro possessione perfectionis inuitat, sed etiam post ardentia desideria, post famem, & sitim, ipsum cibum & potum perfectionis subministrat, & (quod magis est) pro desiderij mensura communicat. Sicut enim in rerum natura nihil est vacuum, sed pro capacitate loci, Deus illum aut aere, aut alio corpore replet: ira pro capacitate animæ, eam ipse Dominus augmento virtutis, & perfectionis implet. Capacitas autem animæ non est aliqua extremitatum corporalium vacuitas, quæ possit quod piam corpus continere, sed fames, & sitis, desideriumque iustitiæ. Accendatur istud desiderium, & quantum nobis fuerit possibile dilatetur, quia tantumdem aut in principio, aut in medio, aut in fine vitæ recipiet. Promissio enim est Dauidis, quam non ex suo corde, sed ex Domini voluntate fecit: Quia ipse Dominus faciuit animam inanem, & animam esurientem faciuit bonis. Non tamè animam faceret, si perfectionis fames ipsam perfectionis mensuram acceptam excederet. Satietas enim non solum habet hominem sustentare, sed omnem etiam famem depellere. Fames verò & desiderium sanctitatis omnino non pellitur, si parum sanctitatis nobis conceditur, & amplius desideratur.

Hinc liquet quàm seruidis desiderijs perfectio exoptanda est, quæ omnia alia rerum humanarum desideria, post se relinquat, imò ex corde viri spiritualis expellant. Nam iustitiæ perfectionisque facietas non tepidis desiderijs, quæ etiam sæculares sanctorum vitas legentes, aut audientes solent concipere, sed fami, & siti, id est, ardenti & efficaci desiderio promittitur. Quale autem est hoc desiderium, aut quomodo poterimus illud intelligere, vt illud possimus queritare? Tale perfectio, quod nos faciat flere, & pro assequutione perfectionis suspirare, & gemere, & in magna contritione cordis animam nostram amore perfectionis exhaustam, in conspectu diuinæ maiestatis effundere. Ad quod nos hortatur Dauid, dicens: Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra; Deus adiutor noster in æternum. Nam & ex spe misericordiæ diuinæ debent desideria perfectionis orici quæ nos faciant corda nostra in con-

A spectu conditoris effundere, vt eum tandem adiutorem, ad gemmam concupitam assequendam experiamur, & tanti boni possessione lætemur. Tam ardens sit hoc desiderium, quod nos incitet, vt media ad assequendam perfectionem ponamus, & sollicitè bonis operibus infudemus. Quæ tamen opera numquam nos fatient, sed quò maiora fuerint, eò maiorem suum perfectionis exsuscitent. Audiamus vnum sanctitatis desiderio æstuantem, & semper pro ea laborantem, & post multos labores, & magnum profectum acquisitum, semper adhuc cupientem. Hic verò sit Bernardus ad eximiam sanctitatem euocatus, & in magistrum sanctitatis assumptus. En, ait, gratia Domini multis iam annis castè sobrièque viuere curo, lectioni insisto, resisto vitis, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantum in me est, conuersari inter fratres: superioribus potestatibus subditus sum, egrediens & egrediens ad imperium senioris. Aliena non cupio, mea potius, & me pariter dedi. In sudore vultus mei comedo panem meum. Sed vt holocaustum meum pingue fiat, osculetur me osculo oris sui. Desiderium his Bernardi verbis expressum, assequutione perfectionis impletur. Quia primò æstuat, & in flammigeris cordis motibus ardet. Deinde non in corde se continet, sed ad virtutis actiones, & illas magnas, & perfectas progreditur. Tandem nullo profectu, nulla vitæ emendatione quiescit, sed semper osculum appetit, confortium sponsum suspirat, & perfectam charitatem exquirat.

Hoc etiam illa amatrix Domini, à qua septem demonia ipse eiecerat, perspicuè pulchrèque depinxit. Videns enim duos Angelos in albis sedentes, vbi positum fuerat corpus Iesu, ac si nihil vidisset, fletum non cohibet, neque vllam Angelorum rationem habet, sed suspirat, & plorat, & iuxta sepulchrum sola, & desolata persistit, donec non iam Angelos videat, sed quem querebat Dominum Angelorum inueniat. Huic similis est anima (vt oportet) perfectionis cupida, quæ aliis abeuntibus, & in vana distractis, ipsa non abit, neque ad alia perfectionem impediencia distrahitur, sed locum vbi Dominus inueniendus est, sine vlla intermissione circumdat. Quæ Angelos se consolantes videt, id est, virtutes, & virtutum actiones, non iam extra se positas, sed in sinu suo se consolantes, & lacrymas abstergentes reperit. Quæ bonorum operum & sanctissimorum laborum non multam rationem habet, quia non sola opera, sed datorem illorum donorum querit. Quæ decreuit tunc solum à lacrymis & desiderijs temperare, cum Dominum post huius vitæ terminum viderit, & purissimum osculum, atque amplexum felicitatis acceperit. Demum illud est desiderium perfectionis efficax, quod pro eius amore non tantum bona facit, sed etiam mala patitur, & omnia impedimenta virtutis constantissimè remouet. Ille enim perfectionem ardentè desiderat, qui tepidos sibi insultantes, & de se detrahentes non audit, nec ob eorum irrisiones & sannas à cæpto cursu desistit. Qui occupationes non necessarias, nec imperio superioris iniunctas, etiam si honorem & famam apud homines sint allatura, prudenter cauet, ne meliora opera virtutis excludant. Qui corpore imbecillior factus, non propterea otio se tradit, & consuetas asperitates omittit, sed ipsum prudenti quodam feruore in negotio & labore sustentat. Qui inter medias difficultates sancta exercitia & continuare & promouere

Gen. 29.

Bernard.
serm. 1.
omni
sanct.

Psal. 106.

Psal. 61.

Bernard.
serm. 9. in
Cant.

Cant. 8.

Ierem. 20

*Ephra. de
abstinēdo
ab omni
cōsuetu-
dine per-
niciosa.*

curat. Qui demonum oblatrantium, & timoribus virtutis iter impediendum dolos agnoscit, & illos spernens semper ad anteriora & perfectiora se extendit. Is, vt pat est, perfectionis est ardens amator, de hoc possumus dicere; quia perfectionem ardentem cupit, & efficaci desiderat. Huius studium sanctus Ephraem optima comparatione delineat. Contemplamur, inquit, agricolas, hi enim terram adaquantes seminant, & virentibus terris solerter eas seruant, & volucres, ac quadrupedia inde arcentes: ne dum adhuc semen est tenerum, ac molle, à talibus euellatur, & nullius bonæ frugis reddatur. Et quando iam ad messem excreuerit, nec tum quidem cura, ac sollicitudine vacant, sed anxii hærent, ne forte grandine fruges concutiantur, aut locustæ messem deporent, aut ventus ætuans fructum corrumptat. Vnde & assidue vota Deo nuncupant, supplicibusque Deum vocibus interpellant, vt saluos & innocuos ipsis Dominus suos fructus concedere dignetur. Tunc verò fructus in sua recondentes horrea, magno cum gaudio festum celebrant. Sic quoque & eos, qui spirituales vitam aggreduuntur, vigilare, & sobrios esse, ac diuini verbi semen custodire oportet: & à scopo diuini amoris non desistere, donec fructum Domino perfectum obtulerint, corpûsq; in tumultu reconditum fuerit. Tunc enim certus erit fructus, & in securitate multa, neq; furto abripi poterit amplius. Et sapienter quidem, vt expertus vitorum spiritualium curam & sollicitudinem cum agricolarum cura contulit, quoniam vita spiritalis quædam cultura animæ, quædam agriculturalio est, qua terra spiritus nostri semen diuinæ inspirationis recipit, & aratro mortificationis emollescit, & aqua cœlestis gratiæ rigatur, & reliquis spiritalis cultura ministeriis disponitur, vt ferax fructuum bonorum affecta, nos in hac vita & in futura sustentet. Fructus verò, quos ex hac terra speramus, non corporis, sed ipsius animæ sustentationi deseruiunt; non vsu pereunt, sed in æternum permanent: non vitam temporariam, sed vitam nunquam deserturam asseruant. Si ergo fructus vitæ mortalis tam ardentibus desideriis ab agricolis desiderantur, & tantis laboribus quaeruntur, fructus immortalis vitæ in perpetuum mansuri, quibus desideriis optandi sunt, quibus orationibus, & gemitibus petendi, quibus laboribus quaerendi, vt nos per æternitatem diuites faciant, & inter Angelos Dei, sanctosque refficiant? Certè quantum distat anima à corpore, & opus virtutis à labore rurali, tantum desiderium & studium perfectionis desideria, & curas agricolarum, & omnium negotiatorum huius mundi deberet excedere.

Hæc itaque ardentissima perfectionis desideria, vnum ex mediis ad consequendam perfectionem & illud efficacissimum existimemus. Quia sententia philosophorum est, & illa verissima, desiderium, eum, qui desiderat, rei desideratæ capacem reddere, & ad eam obtinendam, & capiendam aptare. Si cutenim materies, quam alteram compositi partem dicimus, medio appetitu formæ, quam sitit, formam recipit, & iam non imperfecta & mutila, sed perfecta & pulchra formæ amplexu subsistit: ita & anima medio appetitu & desiderio perfectionis hanc formosam formam sanctitatis amplectitur, cuius substantia, ac natura perficitur, cuius donis & virtutibus decoratur. Os meum aperui, inquit sanctus David, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Non de ore corporis loquitur, qui aërem corruptibilem haurit, vt vitæ corporali subueniat, sed de ore animæ, quod spiritum vitæ attrahit, vt

Psal. 118.

A) anima in perpetuum viuat. Quod autem est istud os animæ? Perfectio non aliud, quam animæ desiderium. Vnde & Paulus ait: Os nostrum pater ad vos ò Corinthij cor nostrum dilatatum est,] ac si desiderium salutis eorum illis aperiat, qui non angustabantur in corde Pauli magna illis cupientis, sed ipsi arctabantur in visceribus suis. Si verò os animæ, est animæ desiderium, tunc clausum est, quando paruum & exiguum est; tunc apertum est, quando magnum & ardens est. Aperuit igitur os suum David, cum desiderium suum distendit & dilatavit, cum illud accendit, & mandata Domini non perfunctorie sed vehementer concupiuit. Et tunc attrahit perfectionis spiritum, quo animæ maculas nœuos abiecit, & seipsum sanctitatis decore perpoliuit. Aperiamus itaque nos ora nostra, & desideria, segnitie clausa, ardore & feruore dilatemus, & tunc spiritus perfectionis in animas nostras intrabit, & nos immensis muneribus decorabit, & cœlestibus donis expoliet. Hic est spiritus vehemens, qui totam domum, id est corpus, & mentem componet, & conuersatione spirituali replebit. Hic Spiritus sancti ignem secum adducet, qui intellectum illuminet, voluntatem accendat, & fortitudinem ad prædicandam veritatem infundat. Hunc perfectionis spiritum gustans anima clamat, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.] Nam si mel palatum illinit, corpûsq; nutrit, Spiritus puritatis animam viuificat, & mira suauitate perfundit. Dicit etiam de sponso suo loquens: Guttur illius suauissimum & totus desiderabilis:] quoniam ex ore Christi hanc dulcedinem & suauitatem accepit. Nonne matris solent cibum dentibus comminere & ori infantulorum ingerere, vt ipsi facilius pappent, & ne præ alimenti duritia illud acceptare reculent? ita Dominus, cuius amor omnium matrum amorem & tenerritudinem vincit, spiritum perfectionis, cibum quidem suauissimum, sed hominum hori duriusculum suo sanctissimo ore partiuit, vt illum homines ad vitam sustentandam deglutirent. Quid enim sunt illa præcepta iustitiæ per Euangelium sparsa? quid consiliorum documenta paulatim, & per partes ingesta? quid verba beatitudinis: Beati pauperes: Beati mites:] tam sigillatim exposita, nisi perfectio comminuta, & ore Domini moderata, vt eam infantuli, id est, homines vniuersi, qui in hac vita nunquam in virum perfectum peruenerunt, facillimè possint admittere, & ad incrementum staturæ spiritualis allumere? Si hunc perfectionis cibum famas, siue desiderium magnum debet præcedere, istud petamus, istud cupiamus, istud concipere: & vitæ ipsa exercitationi virtutum dedita promouere curemus, vt post desiderium facietas, post famem impletio, & post clamores, & gemitus, quibus sanctitatem postulamus, ipsa tandem sanctitas ad nos, & desiderata animæ puritas veniat.

2. Cor. 6.

Psal. 118.

Cant. 5.

Matth. 5.

multa esse, qua hoc perfectionis desiderium excitent: quorum primum est ipsius æstimatio perfectionis.

E

C A P. V.



ON est facile humano cordi his veris & efficacibus perfectionis desideriis ardere, & illorum vi ad quærendam perfectam virtutem incitari: quoniam

natura